

Ad tit. L. - - Ne Clerici vel Monachi negotiis secularibus se immisceant. tract. 1. part. 1. cap. 2. pag. 148.

### LIBER IV. DECRETALIUM.

- Ad tit. I. - - De Sponsalibus & Matrimonii. tract. 1. 2. & 3. per tot. à pag. 212.
- Ad tit. II. - - De Desponsatione impuberum. tract. 3. cap. 2. pag. 222.
- Ad tit. III. - - De Clandestina desponsatione. tract. 3. cap. 5. pag. 227. à num. 24.
- Ad tit. IV. - - De Sponsa duorum. Vacat.
- Ad tit. V. - - De Conditionibus appositis. tract. 1. cap. 3. pag. 212. & tract. 2. cap. 2. pag. 217.
- Ad tit. VI. - - Qui Clerici vel uocentes Matrimonium contrahere possunt. tract. 3. cap. 5. pag. 225.
- Ad tit. VII. - - De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium. tract. 3. cap. 4. p. 223.
- Ad tit. VIII. - - De Coniugio Leprosorum. Vacat.
- Ad tit. IX. - - De Coniugio seruorum. Vacat.
- Ad tit. X. - - De Natis ex libero ventre. Vacat.
- Ad tit. XI. - - De Cognatione spiritali. Vacat.
- Ad tit. XII. - - De Cognatione Legali. Vacat.
- Ad tit. XIII. - - De eo, qui cognouit Consanguinitatem uxoris sue vel sponsa. Vacat.
- Ad tit. XIV. - - De Consanguinitate & Affinitate. Vacat.
- Ad tit. XV. - - De Frigidis & Maleficiatis. tract. 3. cap. 2. pag. 122. à num. 4.
- Ad tit. XVI. - - De Matrimonio Contracto contra interdictum Ecclesie. tract. 2. cap. 1. pag. 216.
- Ad tit. XVII. - - Qui Filii sint legitimi? Vacat.
- Ad tit. XVIII. - - Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari. Vacat.
- Ad tit. XIX. - - De Divortiiis. Vacat.
- Ad tit. XX. - - De Donationibus inter virum & uxorem, & dote post diuortium restituenda. Vacat.
- Ad tit. XXI. - - De Secundis Nuptiis. tract. 2. cap. 4. pag. 218.

### LIBER V. DECRETALIUM.

- Ad tit. I. - - De Accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus. tract. 1. cap. 1. 2. & 4. à p. 228.
- Ad tit. II. - - De Calumniatoribus. tract. 3. cap. 1. pag. 248. à num. 9.
- Ad tit. III. - - De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur. tr. 2. cap. 1. p. 240.
- Ad tit. IV. - - Ne Pralati uices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant. Vacat.
- Ad tit. V. - - De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Vacat.
- Ad tit. VI. - - De Fidei, Saracenis, & eorum seruis. Vacat.
- Ad tit. VII. - - De Hereticis. tract. 2. cap. 3. pag. 244.
- Ad tit. VIII. - - De Schismaticis. Vacat.
- Ad tit. IX. - - De Apostatis, & reiternantibus Baptisma. Vacat.
- Ad tit. X. - - De his, qui filios occiderunt. Vacat.
- Ad tit. XI. - - De Infantibus & languidis expositis. Vacat.
- Ad tit. XII. - - De Homicidio voluntario, & casuali. Vacat.
- Ad tit. XIII. - - De Torneamentis. Vacat.
- Ad tit. XIV. - - De Clericis pugnantibus in duello. tract. 2. cap. 3. pag. 246. à num. 44.
- Ad tit. XV. - - De Sagittariis. Vacat.
- Ad tit. XVI. - - De Adulteriis & Supro. tract. 3. cap. 2. pag. 252. à num. 252.
- Ad tit. XVII. - - De Raptoribus, incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum. Vacat.
- Ad tit. XVIII. - - De Furtis. tract. 3. cap. 1. pag. 247.
- Ad tit. XIX. - - De Ursuris. tract. 2. cap. 2. pag. 242.
- Ad tit. XX. - - De Crimine falsi. tract. 3. cap. 2. pag. 252. à num. 29.
- Ad tit. XXI. - - De Sortilegiis. Vacat.
- Ad tit. XXII. - - De Collusione detegenda. Vacat.
- Ad tit. XXIII. - - De Delictis puerorum. Vacat.
- Ad tit. XXIV. - - De Clerico venatore. Vacat.
- Ad tit. XXV. - - De Clerico Percussore. Vacat.
- Ad tit. XXVI. - - De Maledicis. Vacat.
- Ad tit. XXVII. - - De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. Vacat.
- Ad tit. XXVIII. - - De Clerico non ordinato ministrante. Vacat.
- Ad tit. XXIX. - - De Clerico per saltum promoti. Vacat.
- Ad tit. XXX. - - De eo, qui furtiue ordinem suscepit. Vacat.
- Ad tit. XXXI. - - De Excessibus Pralatorum & subditorum. Vacat.
- Ad tit. XXXII. - - De Novi Operis nuntiatione. Vacat.
- Ad tit. XXXIII. - - De Privilegiis, & Excessibus privilegiorum. Vacat.
- Ad tit. XXXIV. - - De Purgatione Canonica. Vacat.
- Ad tit. XXXV. - - De Purgatione vulgari. Vacat.
- Ad tit. XXXVI. - - De Injuriis & damno dato. tract. 3. cap. 1. pag. 248.
- Ad tit. XXXVII. - - De Pœnis. tract. 1. cap. 3. pag. 229.
- Ad tit. XXXVIII. - - De Pœnitentiis & Remissionibus. Vacat.
- Ad tit. XXXIX. - - De Sententia excommunicationis. tract. 1. cap. 3. pag. 229. & seqq.
- Ad tit. XL. - - De Verborum significatione. Vacat.
- Ad tit. XLI. - - De Regulis Juris. Vacat.

SUP-

( o )

I

## SUPPLEMENTUM AD TRACTATUM PRÆAMBULUM DE JURISPRUDENTIA CANONICO-CIVILI.

### CAPUT I.

#### De Natura Jurisprudentiæ Canonico-Civilis.

#### SUMMARIUM.

1. Refertur definitio Jurisprudentiæ. 2. & seqq. Impugnatur. 5. & seqq. Vindicatur; datò discrimine à Theologia Morali & Ethica. 7. Explicatur l. non omnium ff. de LL. 8. & seqq. Resp. ad §. 6. de J. N. G. & C. 10. & seqq. Exponitur l. Barbarius ff. de Off. Prætor. 12. & seqq. Negatur Jurisprudentia Historica. 14. Commendatur tamen ipsa Historia. 15. & seqq. Commendatur etiam methodus Scholastica. 20. & seqq. Uti & viva vox. seu instructio Professorum. 24. & seqq. Jurisprudentia Canonica rectè vocatur Jus Pontificum. 29. & seqq. Vocatur quoque in suo sensu Jus Divinum. 35. & seqq. Recensentur varia collectiones Canonum ante Decretum Gratiani. 47. & seqq. Quibus omnibus idem Decretum ex variis rationibus præfertur. 55. & seqq. Defenditur à censuris. 57. Robur accipit ex emendatione Pontificum & Bulla Gregorii XIII. 58. & seqq. Enumerantur quinque Decretalium compilationes ante Gregorium IX. 63. & seqq. Ostenditur, ex quibus fontibus hic Pontifex suas Decretales hausserit. 68. & seqq. Declarantur fontes sexti Libri Decretalium. 70. & seqq. Datur Regula quoad alias Decretales ante Bonifacium VIII. 74. & seqq. Resp. ad cap. 1. de Præb. in 6. 76. & seqq. Clementina Clementi VII. adscribuntur. 80. & seqq. Joannes XXII. quoad suas Extrava-
- gantes & puritatem fidei defenditur. 85. & seqq. Agitur de aliis Bullis Apostolicis, & Bullario Magno. 89. & seqq. Agitur de Bullarum auctoritate. 95. & seqq. Discutitur, an constitutiones, ante Leonem Magnum condite habeant rationem legis obligatiue? 98. In his subiunguntur epistola authentica Summorum Pontificum. 99. Authores indicantur, qui Canonibus Apostolorum vim legalem abdicant. 100. & seqq. Fundamenta contraria adducuntur. 106. & seqq. Disceptatur de eorum numero. 106. & seqq. Juris Civilis Collectiones antiquæ, indicantur. 119. & seqq. Ejus parte, sub Casaribus vulgari, subdantur. Germanos. Justinianum ab initio non obligat. 123. & seqq. Ex Italia successu in Germania Scholas & dicasteria receptæ sunt. 126. & seqq. Refertur Seruinus, & Canonicum vel-licans. 130. Speculum Sapientium describitur. 131. Et Suericum. 132. & seqq. Abrogatur utriusque generalitas legis. 138. & seqq. Examinatur existentia & natura Jurisprudentiæ Publicæ Ecclesiasticæ. 143. & seqq. Jurisprudentia Criminalis ex Nemese Carolina adumbratur. 146. Librum feudorum virtus authentica roboratur. 147. & seqq. Speculo Saxonico & Suevo nulla in feudis auctoritas per-mittitur.

### QUESTIO I.

#### Quomodo definienda sit Jurisprudentia in genere?



**I**n mox cit. Tract. num. 2. Jurisprudentia in genere definita fuit, quòd sit habitus, in id intentus, ut cum recta ratione juxta leges & regulas justæ operationis actiones hominum diri-

gantur. An bene? Ratio dubitandi est I. quia non solum Ethica, sed etiam Theologia Moralis eò collimant, ut actiones nostræ legibus & regulis justæ operationis cum recta ratione commensurentur. II. quia non omnium, quæ à majoribus in Jure conscripta sunt, ratio

P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civil.

A

ratio



ratio reddi potest l. non omnium 20. ff. de LL. sed fiat pro ratione voluntas, & quod Principi placuit, legis habet vigorem s. sed & 6. Instit. de F. N. G. & Civ.

4 III. quia etiam, quæ ex errore aguntur, jure fiunt, ex quo communis error jus facit per l. Barbarius 3. ff. de offic. Praetor. & quod non ratione introductum, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. l. quod non ratione 39. ff. de LL.

5 Verùm leviores sunt istæ rationes, quàm ut definitionem adstructam labefactare possint. Siquidem quoad I. remanet manifestum discrimen inter Jurisprudentiam ex una, nec non Theologiam Moralem & Ethicam ex altera parte: nam Moralis Theologia considerat actiones humanas, prout Christianæ, & conducibiles sunt ad salutem animæ; Ethica

6 verò attingit easdem actiones, quatenus honestæ sunt, atque naturali beatitudini accommodatæ: e contra Jurisprudentia tota quantà eò respicit, ut actiones hominum sint justæ, seu ut justitia, tanquam Regina Virtutum moralium in humana societate, in omnium dictis & factis resplendat.

7 Quoad II. verum equidem est, rationem positivam, intimam, individualem, aut ultimam de omnibus, quæ jure statuuntur, reddi non posse, præcipuè in materia à mero statuentis arbitrio pendente, v. g. in præscriptione certarum solennitatum, certi numeri testium, anno-

rum, mensium, dierum &c. rationem tamen negativam, generalem, probabilem, seu verosimilem nunquam non suppetere: sufficit enim, quòd Legislator, aliquid statuendò, non excedat limites suæ potestatis, nec argui possit imprudentiæ.

8 Quod additur ex s. sed & 6. hunc sensum habet, nempe in statu Monarchico, in quo omnis potestas à Populo in Principem fuit translata, non amplius consensu Populi ad Legum sanctionem desiderari, sed, quòd solâ suâ voluntate, nemine requisito, Princeps imperat, pro lege suscipiendum.

9 Quamquàm Princeps, ex jure Majestatis aliquid decreturus, motivum rationabile habere debeat, & in dubio præsumatur habere per ea, quæ prolixè discussimus in *Jurisprud. Universali Publica lib. 2. c. 4. à num. 1.*

10 Ad III. Resp. Clariff. D. Joannes Balthasar Braun de *Jurisprud. p. 1. cap. 1. s. 3. num. 26.* errorem communem jus non facere causaliter sed occasionaliter, quatenus præbet Legislatori ansam, ut id, quòd probabili errore gestum est, perinde valere velit, ac sic absque errore gestum esset: Sicut etiam consuetudo, errore inducta non durat, nec dat jus ad exercendos actus similes errore detectò; licet actus, antea gesti, solummodò dent jus putativum ex conscientia erronea, postea resolvendum, ubi veritas erit manifesta; prout idem Author *num. 25.* docet.

## QUÆSTIO II.

### De turne Jurisprudentia Historica?

12 Negavi in *cit. tr. & cap. 3. num. 28.* quia, qui solum callet, quales Canones aut Leges hæc vel illa ætate, ab hoc vel alio Doctore aut Legislatore prodierint, nec tamen novit causas, rationem, modum & morem interpretandi, atque regulas generales ad causas singulares applicandi; is certè inter Jureperitos haud referendus est. Clariff. D. Braun in *d. Jurisprud. p. 2. cap. un. s. 2. num. 4.*

13 Et quamvis non nesciam, nonnullos hodie reperiri, qui tam in Jure Canonico quàm Civili, eoque publicò & privatò, nonnisi Historiam crepent, Conciliorum Decreta, Pontificum Constitutiones, Patrum dicta, Prineipum pla-

14 cita, Jctorum sententias &c. cum temporis computatione seu chronologia identidem allegantes & commendantes; si tamen artem Juris, veramque interpretandi indolem ignorent, neque ipsi casum aliquem seu canonicum seu civilem resolvere, neque, ut alii discant, instruere poterunt. Quin verò proficua, atque ad illustrandam Jurisprudentiam apprime conveniens sit accurata Juris Historia, nemo prudentum negabit: quandoquidem ad intimè penetrandam Legislatoris mentem plurimum juvat, noscere, quâ occasione, quò tempore, circa quas personas aut loca aliquid decretum, ordinatum, vel statutum fuerit.

## QUÆSTIO III.

### Sitne Jurisprudentia methodò Scholasticâ exponenda?

15 Ita quidem omnibus persuasum existimo, qui Jurisprudentiam aut Scientiæ choro, aut artium classi nobilissimam in *cit. tract. cap. 1. num. 3. & 8.* adscribunt: nam, ut aliæ scientiæ vel artes ritè & rectè exponantur, methodò Scholasticâ opus est: tum quia methodus nihil aliud est, quàm concinnus ordo, quò sine perfecta & accurata rerum cognitio haud proceditur à notioribus ad minus nota; à generibus ad species, à speciebus ad individua,

18 à simplicibus ad composita, à thesi ad hypothesein: tum quia solida scientia cujuslibet objecti non acquiritur, nisi ex cognitione causarum, per methodum Scholasticam derivandâ. Quamobrem antea laudatus D. Braun de *Jurisprud. p. 1. cap. 3. s. 2. à num. 29.* ex variis docendi modis singulariter illam extollit, & suadet, quem & ipse & alii Universitatis nostræ Jurium Professores tenuerunt, ut nempe à nomenclatura, definitione, & divisione rei, per reliqua causarum genera usque ad effectum

Etum lentò & ordinatò gressu procedatur. Nempè, ut P. Crassus apud Ciceronem *lib. 1. de Oratore* perorat: sunt notanda genera, & ad certum numerum paucitatemque revocanda. Genus autem idem est, quòd sui similes cum unione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes autem sunt, quæ generibus in, ex quibus emanant, subjiciuntur. Omniaque, quæ sunt vel generum vel partium ruina,

definitionibus, quam vim habeant, est exprimentum. Est enim definitio earum rerum, quæ sunt ejus rei propria, quam definire volumus, hinc & circumscripta quadam explicatio. Jam si quispiam effecerit, ut primùm omne jus in genera digereret, deinde eorum generum quasi quadam membra disperiret, tum propriam cujusque vim definitione declararet, perfectam artem juris haberet.

## QUÆSTIO IV.

### An Jurisprudentia à Magistris & Professoribus, vel ex solis Libris & Commentariis Juridicis addiscenda sit?

21 Affirmat prius membrum mox citatus Brauo *d. cap. 3. s. 3. num. 12.* cum Fachinneo *lib. 9. controvers. cap. 103.* Si enim satis esset, ex solo Commentario sapere, haud quidquam necessum fuisset tot Philosophis (addo & ego tot Jurisconsultis) ut per exteras Nationes peregrinarentur, eos audituri, quorum 22 libros jam in cubiculo legissent. Viva

vox magis afficit, plenius pascit & alit; altiusque descendunt in animum, in eoque tenacius hærent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus docentis affixerit. Non 23 se liber explicat, ut Præceptores facere consueverunt, qui multis exemplis, sententiis, argumentis utuntur; eaque omnia, quæ docent, vocis moderamine illustrant.

## QUÆSTIO V.

### An Jurisprudentia Canonica justè vocetur Jus Pontificium?

24 In *cit. cap. 1. num. 35.* refertur hæc Synonymia; sed impugnatur à Scriptoribus A Catholicis: partim quia non tota Jurisprudentia Canonica, sed pars duntaxat illius, pura Decretum & Decretales, ex Constitutionibus 25 Pontificiis componitur: tum quia ipsa Pontificum autoritas prius erit demonstranda, quam illorum sanctionibus autoritas adstruatur. Ita ferè Struvius in *Historia Juris* 26 *cap. 7. s. 1.* Verùm leviora hæc sunt, quàm ut attentionem mereantur. Quantumvis enim non omnes Constitutiones, in Corpus Juris Canonici relatæ, habeant immediatum & unicum Authorem Pontificem; sunt tamen illius auspiciis illum repositæ, vim

que authenticam ab ipsius voluntate & potestate assecuta. Joannes Doviati in *P. anorion. Canonic. lib. 1. cap. 1. num. 15.* Neque opus est aliquâ hujus potestatis demonstratione: cum veri Catholici aliunde sciunt & supponant, Juris Ecclesiastici fundamentum & basis supra Petram Apostolicam, ac visibile Ecclesiæ Caput, positam; A Catholicis e contra tanquam obsecati & indurati in sua pertinacia, cervicem nolint inflectere, etiam si 28 distillis argumentis convincantur. tamen alicui lubeat, aliqua de authoritate supremati Christi in terris Vicarii in *cap. 2. de* 29 *o lustrare. in tract. s. lib. 1. cap. 2. l. m. op-*portunum inveniet.

## QUÆSTIO VI.

### An Jurisprudentia Canonica æquali titulò Jus Divinum nuncupetur?

29 A Siertum hoc in *cit. cap. num. 37.* ex variis textibus; quibus accedit I. testimonium Nicolai Pontificis in *cap. Lige Imperatorum 1. Dist. 10.* ibi: *Imperatorum lex non est supra legem DEI, sed subitus: Imperiali judicio non possunt Ec-* 30 *clesiastica jura dissolvi.* II. D. Gregorii Nazianzeni, qui in oratione ad cives Nazianzenus, relatâ in *cap. suscipit igne 6. d. Dist. 10. dedit,* ait, nobis (Missus) potestatem, dedit & principatum multo perfectiorem principibus vestris. Aut nunquid justum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si terrenis celestia superentur, si *Dist. 10. prae-* 31 *stantur humana?* III. D. Augustini *Epist. 48. ad Vincentium,* allegatâ in *cap. quicumque 1. XXIII. quæst. 7.* ubi per *Jus humanum,* prout contraponitur *Divino,* intelliguntur Leges Principum Sæcularium. Doviati *Praenot. Ca-* 32 *nonie. d. lib. 1. cap. 5. num. 2.* ubi duplicem ra-

tionem ponit: partim quia Jus Canonicum affante Spiritu Sancto constitutum sit, deriveturque ex principiis Evangelicis: partim quòd ipsius Christi ore *Matth. 10. & Luca 10.* Sacrarum legum condendarum potestatem Petrus ejusque successores acceperint. Quæ 33 de causa Agatho Papa in *cap. 2. Dist. 19. sic,* inquit, omnes Apostolica Sedis Sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divini Petri voce firmatæ sint; cui consonant alii Pontifices, in ead. *Dist. re-* 34 *lati.* Interim in sensu strictiori Jurisprudentia Canonica propius ad Jus Humanum, quàm Divinum, reducitur: utpote cum proximè deducatur & derivetur ex Legibus & decretis Ecclesiasticis; modusque tum interpretandi tum applicandi ex principiis & regulis humani Juris desumatur.



## QUÆSTIO VII.

An Decretum Gratiani pro fonte Jurisprudentiæ Canonice statui possit?

35 **M**ultæ Canonum collectiones jam ante Gratiani decretum, Anno 1150. ex integro confectum, unòque sequenti editum, quod *Concordiam discordantium Canonum* appellavit, compilatæ fuerunt, videlicet à Dionysio Exiguo Abbate & Monacho circa Annum Christi 496. & seqq. Fulgentio Ferrando, Ecclesiæ Carthaginensis in Africa Diacono, qui claruit circa Annum 547. Martino Bracarenis Ecclesiæ in Hispania Episcopo, & antea Dumienis Monasterii Conditor & Abbatè circa Annum 572. Cresconio seu Crifconio, Africano Episcopo, circa Annum 690. florente; Isidoro Hispalensi Archi-Episcopo, cui ab Anno Christi 595. usque ad Annum 636. Ecclesiam suam regenti, collectionem aliquam Canonum deberi, cum aliis præclaris Viris adstruit Doviati *Prænot. Canonic. lib. 3. cap. 19. num. 4. & 5.* Isidoro altero, qui mercator aut peccator dicebatur, longèque alius ab Hispalensi erat circa Annum 685. Hadriano I. Summo Pontifice circa Annum 785. Reginone Monacho Benedictino in Monasterio Prunienfi ad finem sæculi noni, vel initium sequentis. Burcardo, Monacho primùm Benedictino in Cœnobio Loliensi Diocesis Leodiensis, deinde Episcopo Wormatiensi circa Annum 1008. Anselmo Episcopo Lucensi, patriâ Mantuanò circa Annum 1086. Cardinale DEus-dedit sub Anno 1087. Ivone Carnotensi Episcopo circa Annum 1100. cui etiam altera collectio, sub titulo *Panormia*, à plerisque adscribitur. Gregorio Polycarpo Presbytero Hilano sub Annum 1120; de quibus & aliis ex præfesso tractat laudatus Doviati *d. lib. 3. à cap. 14. usque ad fin.* Verùm nulla ex his collectionibus eum meruit honorem, ut in Corpus, quod vocamus, Juris Canonici redacta fuerit; cum tamen Decretum Gratiani primam in hoc corpore sedem inter receptos Juris Canonici libros fixerit, & hodieum retineat. Unde, quòd statui possit pro Jurisprudentiæ Canonice, quam à multis jam sæculis in scholis profitemur, origine & fonte, nullatenus dubito. Id quod confirmatur ex multifariis rationibus, à præcitato Doviati *lib. 4. cap. 11. adductis.* I. quia Gratianus optimarum sententiarum suppellectilem nobis comparavit, ex omnibus penè Scriptoribus Ecclesiasticis ingenti labore ac studio collectam; quorum etiam monumenta nonnulla temporum injuriâ postmodum interierunt. II. quia sectatur ordinem, non alienum ab eo, quem Justinianus Imperator in Digestis & Codice sibi familiarem reddidit: ut enim Justinianus utrobique tam civilium quam criminalium judiciorum tractationi partim præmisit, partim subiecit, quæ ad Jus publicum pertinebant, incipiens à Magistratibus, ac tandem in fiscalibus desinens, aliisque similibus rerum generibus, ad statum Reipublicæ pertinentibus: pari ratione Gratianus ab Episcopis & Prælatibus, qui sunt Ecclesiæ Magistratus, cœpit; finem autem operi imposuit in tractatu de Sacramentis & Ecclesiis ac fidei Mysteriis, quibus velut fundamentis publicus Ecclesiæ status continetur. III. quia Gratiani volumen certâ ferme parte auctius, quàm Burchardi & Joannis (quorum collectiones alioquin præ cæteris commendantur) rerum Ecclesiasticarum instructiorem & locupletiore penum nobis suppediat. IV. quia Gratianus præ prioribus collectoribus gravissimas quæstiones non Scholasticò solum sed & Forensi more in utramque partem agit: quæ disputandi ratio ad res arduas apprimè cognoscendas utilissima censetur. V. quia diversos casibus ad eandem materiam seu classes rerum pertinentes, Gratianus pro- & contra sic ventilat, ut in concordiam adducantur: hæc autem velut maximè idoneâ tractandarum accuratè disciplinarum ratione, Aristoteles imprimis, tum alii quoque Veterum usi sunt, qui præsertim Dialogos conscripserunt; itemque ex posterioribus ambo Theologiæ Scholasticæ Principes, Petrus Lombardus ac Div. Thomas, verè in his tractandis methodi & peritissimus & servantissimus. Ita ferè allegatus Doviati.

Non me fugit, nævos & menda sat multa Gratiano imputari, prout videre licet apud Doviati *d. lib. 4. cap. 12.* Sed quid tum? Etiam alii, tum Canonici tum Civiles Juris compilatores, aliarumque disciplinarum fautores & promotores sæpe lapsi sunt, aut rerum multitudine obruti, aut librorum & libroriarum erroribus inducti: nec tamen, quòd aliquoties offenderint, laudem & commendationem suam perdiderunt. Nisi fortè, sicuti ad elogium Gratiani observat Doviati *cap. 13. num. 4.* quis contenderit, nullam à nobis gratiam initurum, qui lapillorum gemmarumque pretiosarum immensum acervum, magnâ curâ undique conquistum, rudibus nonnullis informibusque admixtis, nobis offerret.

Sanè, cum errores, qui in Decretum Gratiani irrepererunt, jussu ac studio trium Romanorum Pontificum, Pii IV. Pii V. & Gregorii XIII. qui ante Pontificatum Bononiæ Jus Canonicum publicè docuit, adhibitis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque eruditissimis viris, quorum nomina recenset Doviati *cit. lib. 4. cap. 13.* diligenter indagati, vetustissimi Codices undique conquistati, auctores ipsi, quorum testimoniis usus erat Gratianus, perlecti, quæque perperam erant posita, suis locis restituta fuerint, magnâ ratione

ne habita operis ipsius dignitatis, & publicæ, eorum præsertim, qui in hoc studio versantur, utilitatis, prout edisserit atefatus Gregorius XIII. in suo Brevis sub Annulo Piscatoris Anno 1582. die 2. Junii ante idem Decretum præfixò: nemini post hanc emenda-

tionem licitum erit, dentes in Gratianum, acuire, ejusque compilationem vel proscindere vel proscribere: cum etiam mox dictus Gregorius XIII. jussit, ut, quæ emendata & reposita sunt, omnia quàm diligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut immutetur.

## QUÆSTIO VIII.

An & quales Decretalium Compilationes post Gratianum ante Decretales Gregorii IX. prodierint?

36 **S**æpe cit. Doviati *d. lib. 4. cap. 16.* quinque ejusmodi compilationes enumerat. Prima est Bernardi Circe Præpositi Papiensis, & postea Faventini Episcopi, qui epistolas decretales Summorum Pontificum, post Decretum Gratiani, suâ præfatam ætate conscriptas, in quinque libros sub certis titulis, ordinem ferè Codicis secutus, congestit, ac *Breviarium Extravagantium* inscripsit circa Annum 1190. Secunda ex Gilberti Abbatis & Aluni Episcopi Antistiodorensis, restaurata à Joanne Galensi seu Vallenfi Anno 1202. continens in se Constitutiones, à Bernardo Circa omittas. Tertia est Bernardi majoris, Archi-Diaconi Compostellani, ex Constitutionibus Innocentii III. Summi Pontificis, intra & extra Concilium Lateranense IV. copditis, in lucem emissa;

quam tamen, cum aliqua inserta essent, usui judiciorum minùs consentanea, operâ Petri Beneventani Diaconi & Notarii ejusdem Pontificis emendata, simulque Pontificiâ autoritate roborata nomen tertii Libri Decretalium memorati Innocentii III. accepit. Quarta est incerti Authoris, complectens sæpe nominati Innocentii III. Constitutiones, post annum Pontificatus duodecimum, seu ab Anno Christi 1211. evulgatas. Quinta est Honorii III. proximi Innocentii III. in Pontificatu successoris, ab eo ex propriis suis Decretalibus composita. Sicque intra 70 annos ab edito Gratiani Decreto quinque Decretalium compilationes, usu receptæ, emanarunt, quasi supplementa aut continuationes Gratiani, ut loquitur Doviati *d. cap. 16. num. 4. & 10.*

## QUÆSTIO IX.

Quibusnam ex fontibus Libri V. Decretalium à Gregorio IX. fuerint derivati?

37 **R**esolutionem dat ipsemet Gregorius IX. Honorii III. in Sede Apostolica immediatus successor, ac Decretalium, Anno 1230. compaginatarum, Conditor in sua præfatione, ubi, *diversas, inquit, Constitutiones & Decretales Epistolas Prædecessorum nostrorum, in diversa dispersa volumina, quarum aliqua propter nimiam similitudinem, & quadam propter contrarietatem, nonnulla etiam propter sui prolixitatem, confusio nem inducere videbantur, aliqua verò vagabantur extra volumina supradicta, qua tanquam incerta frequenter in judicis vacillabant: ad communem & maximè studentium utilitatem, per dilecti fratrem Raymundum, Capellanum & Penitentiarium nostrum, in unum volumen, rescatis superfluis, providimus redigendas; adjucentes constitutiones nostras & Decretales Epistolas, per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia, declarantur.* Sunt autem Pontifices, quorum Epistolæ Decretales (nomen à decerendo sortitæ, quòd Pontifex rescribendò ad consultationem Episcoporum, aliorumque, etiam privatorum, aliquid generaliter valiturum, re diligenter enunciata, decernat) allegantur, à potiori Gratianò posteriores, puta Alexander III. Lucius III. Ur-

banus III. Gregorius VIII. Clemens III. Celestinus III. Innocentius III. Honorius & indeque Gregorius IX. Neque obest, quòd in præfatis Decretalibus extant etiam Decreta duorum Generaliorum Lateranensium, & quarti sub Alexandro III. Innocentio III. nec non Conciliorum particularium, uri & quorundam Patrum sententiæ; adeoque instar Decreti Gratiani nomen Decretalium simpliciter non mercantur.

Enimverò supra dictorum Pontificum, & nonnullorum Antecessorum Decretales Epistolæ plus duplo superant Decreta Conciliaria Patrumve dicta, ibidem relata: eaque propter, cum denominatio sumatur à potiori, nomen Decretalium hisce Libris antonomastice adscribitur: sicut atque Decreto Gratiani, in quo longè minor Decretalium Epistolarum, quàm Canonum Conciliorum aliarumve autoritatum, numerus conspicitur. Doviati *d. lib. 4. cap. 18. num. 2.* Eminentiss. Card. Vincentius Petra in *Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 1. pag. m. 28. num. 45.*

## QUÆSTIO X.

Ex quo fonte Liber VI. Decretalium Bonifacii VIII. dimanaverit?

38 **R**espondet ipsemet Bonifacius VIII. in Bulla, ante VI. Decretalium, circa Annum

1300. absolutum, præfixâ, quòd, cum post voluminem Decretalium à felicis recordationis Gregorio Papa



Papa nono tam providè quàm utiliter compilatum, nonnulla ab eo & aliis Romanis Pontificibus successivè super diversis dicerentur articulis edita Decretales, de quarum aliquibus, an Decretales existerent, earumque auctoritate dubitabatur sollicitè in judiciis & in scholis &c. ipse Decretales hujusmodi diligenter fecerit recenseri; & tandem, pluribus ex ipsis (cum vel temporales, aut sibiipsis, vel aliis Juribus contrariis, seu omnino superflua viderentur) penitus rescacatis, reliquas, quibusdam ex eis abbreviatis, & aliquibus in toto vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus, & additionibus factis in ipsis, in unum librum cum nonnullis suis Constitutionibus redigi mandaverit &c. Etque adeò Liber VI. Decretalium compilatus potissimum ex Constitutionibus Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. Clementis IV. Gregorii X. Nicolai III. Bonifacii VIII. in quibus admodum multa reperiuntur decreta duorum Conciliorum Lugdunensium, quorum alterum sub eodem Innocentio IV. Anno 1245. alterum sub memorato Gregorio X. Anno 1274. celebratum est.

70 Quodsi alicubi citentur aut referantur aliæ Decretales aut Constitutiones, à quibuscumque prædecessoribus Romanis Pontificibus ante Bonifacium VIII. post editionem dicti voluminis, id est Decretalium Gregorii IX. promulgata, atque in Libro VI. Decretalium insertæ, aut specialiter reservatæ non legantur, eas recipi, aut pro Decretalibus haberi prohibet idem Bonifacius in supra cit. Bulla, Libro VI. Decreta-

lium præmissa. Hinc patet, ut scribit 71 prælaudatus Eminentiss. Petra d. tom. 1. pag. 31. num. 64. quoad præfatas Extravagantes Constitutiones non habere amplius hodie locum dispositionem cap. Pastoralis 8. de Fide Instrument. ubi Innocentius III. sancivit, quòd Judex meritò judicare possit secundum tenorem illarum Extravagantium, de quibus, an essent authenticæ, dubitatur, si Juri sint consonæ: quia Bonifacius omnes Extravagantes, quæ 72 extra compilationem Gregorianam & Bonifacianam remanserunt, tanquam superfluas rescacuit & rejecit. Limitat tamen cit. 73 Petra in num. 65. hanc illationem quoad illas Extravagantes, quæ contra hæreticam pravitatem fuerunt editæ, quamvis in Corpore Juris Communis haud reperiantur, ob textum in cap. ult. §. ult. de Hæret. in 6. & Clem. multorum 1. §. ult. d. tit.

Equidem, ut notat Doviati d. lib. 4. cap. 21. 74 inscriptiones nonnullarum Constitutionum in d. Lib. VI. Decretal. referunt Pontifices, Gregorius IX. antiquiores, signanter in cap. suscipi: 1. de Præbend. ubi ponitur Clemens III. qui annis 39. ante compilationem Gregorii è visis excessit. Verùm errore Scripto- 75 rum aut Typographorum accidisse, ut locò Clementis IV. poneretur III. non solum vetustiores Codices, sed etiam Recentiores editiones palam demonstrant: quibus idcirco tantò major adhibenda fides, quantò propius ad mentem Bonifacii VIII. accedunt.

QUÆSTIO XI.

An Clementina voluntate & auctoritate Clementis V. Summi Pontificis fuerint promulgatae?

76 Aventinus Annal. Polcor. lib. 7. cap. 15. n. 18. à Wilhelmo Occamo se accepisse scribit, quæ ibidem commemorat, nempe quòd Joanne XXII. Septimum Juris Pontificii librum, quem Clemens V. decessor ejus composuerat, sed quòd multa, quæ simplicitati Christianæ & libertati Religionis imponerent, ibi continerentur, publicare superederat, atque animam agens aboleri jufferat, ediderit, omnia, quæ ibidem scripta erant, rata fore constituerit: quæ à Benedicto, qui Joanni successit, 77 rursus antiquata sunt. At, quàm longè à vero aberret Aventinus, constat ex pluribus vitæ Clementis V. Scriptoribus apud Struvium in Historia Juris cap. 7. §. 27. attestantibus, Clementem V. Anno 1313. suis Constitutiones in Consistorio publicasse, morte tamen præventum ad studia generalia, sicuti tunc moris erat, mittere non potuisse.

78 Constat insuper ex Bulla Joannis XXII. ad Doctores & Scholares studii generalis Bononiæ directâ, atque Clementinis præmissâ, quòd

Clemens V. ejus prædecessor, nedum in Concilio Viennensi, (cui præsedidit Anno 1311.) quin etiam ante & post ipsum Concilium Constitutiones plurimas ediderit, in quibus multa nilia statuit atque salubria, & nonnulla dubia in judiciis & extra frequentata decidit; & licet eas collectas in unum volumen, & sub congruis titulis collocatas mittere decrevisset, & dare in commune subjactis, assidue tamen occupatio circa magna, ac sortis humana conditio, quæ ipsum de medio sustulit, in causa fuerint, quare suum in hac parte propositum non implevit. Unde luculenter concluditur, Clementinas, 79 veluti salubres & utiles Constitutiones, voluntate & auctoritate Clementis V. sub nomine septimi Decretalium compilatas, sed, interveniente ejus obitu, primùm à successore Joanne XXII. Pontificatus sui Anno secundo, qui est Annus Christi 1317. cum transmissione ad Universitatem Bononiensem sub titulo Clementinarum toti Orbi fuisse publicatas.

QUÆSTIO XII.

Qualem auctoritatem habeant Extravagantes, in Corpore Juris Canonici extantes?

80 Auctoritas decisiva tam Extravagantibus Joannis XXII. quàm communibus in

tract. præamb. cap. 1. num. 73. & seq. jam fuit adjudicata. Hinc solummodò referre juvat, quæ

quæ dixisse fertur Guilielmus Occamus, nempe à multis Extravagantes Joannis XXII. reprehendi, tanquam hæreticas & omnino falsas. Hoc quippe dictum, non nisi inter calumnias & palmares injurias recensendum, eò minorem promeretur fidem, quòd minori dignus est illius Author Occamus, qui, cum Joanne XXII. contra quem calamum in favorem Ludovici Bavari strinxerat, infensissimus, atque ab eo excommunicatus esset, de partium studio nimium suspectus & gravatus erat. Eminentiss. Vincentius Petra in Comment. ad Constitur. Apostol. tom. 4. pag. 27. n. 59. & seqq. & pag. 144. 82 num. 12. Et, quamvis alii quoque prædictum Joannem Pontificem hæresis insimulare ausi fuerint, quasi nempe docuisset, aut saltem credidisset, animas fidelium, qui in gratia decesserunt, ante diem universalis Judicii DEUM clarâ & intuitivâ visione non videre: attamen allegatus Petra d. pag. 144.

num. 12. & seqq. efficaciter ostendit, hunc errorem Joanni XXII. falsò affingi, utpote qui in Bulla Canonizationis S. Thomæ Aquinatis quæ incipit: redempcionem misit &c. Anno 1313. apertè profitetur: Cælum credentibus & humilibus patere; à Christo, in cælos ascendente, reservatam dudum clausam in se credentibus januam paradisi; S. Thomam devictò triumphatòque mundò in perpetuas æternitates receptum in patria; ejus animam Cælum possidere, & in cælestibus agminibus positum glorificare: quive, cum suo tempore necdum articulus iste definitus esset, volebat eum, indictò jam publicò Consistoriò, accersitisque S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Theologia eximiiis Magistris & Doctoribus, definire, sed, morte intercedente, non potuit, uti Benedictus XI. ejus Successor in Bulla Benedictus DEUS, quæ veritatem Catholicam docuit, & credendam propoluit, Anno 1336. palàm confiteretur.

QUÆSTIO XIII.

Denturne adhuc aliæ Extravagantes, & quam auctoritatem habeant?

85 Ari adhuc alias Extravagantes, & quidem propriè tales, utpote extra modernum Canonici Juris Corpus vagantes, in vulgus notum est: quia post Extravagantes Joannis XXII. & Communes, quas in eodem Juris Corpore videmus, à subsequentibus Pontificibus quàm plurimæ Constitutiones emanarunt, dictæ Bullæ Apostolicæ, & collectæ in Magno Bullario; cui initium fecit Laërtius Cherubinus Jctus Romanus, congestitque Bullas à Leone Magno usque ad Sixtum V. juxta ordinem temporum; quemve secutus ejus Filius Angelus Maria Cherubinus Monachus Cassinensis plures Constitutiones addidit, ac Bullarium Magnum, Anno 1634. Romæ impressum, divisit in quatuor Tomos, è quibus primus Constitutiones à præfato Leone usque ad Paulum IV. Secundus à Pio IV. usque ad Innocentium IX. tertius à Clemente VIII. usque ad Gregorium XV. quartus Constitutiones Urbani VIII. complectitur; 87 additò postmodum à PP. Angelo à Lautusia & Joanne Paulo à Roma Ordinis Minor. S. Francisci strictioris observantæ tomò quinto, ubi Constitutiones Pontificum post Urbanum VIII. nempe Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X. referuntur. Accessit Anno 1697. collectio Bullarum Innocentii XII. operâ D. Georgii de Firmanis; & Anno 1723. Bullarium Clementis XI. curâ & auspiciis Eminentissimi Nepotis, D. Annibalis 89 Albani S. R. E. Cardinalis & Camerarii. De istarum Extravagantium seu Bullarum autho-

ritate Eminentiss. D. Vincentius Petra in Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 1. pag. 31. n. 61. & seqq. ponit sequentes resolutiones. I. Extravagantes, ante Bonifacium VIII. juxta num. 70. non esse legales, neque vim legis habere; II. Extravagantes, in Corpus Juris relatas, facere Jus Commune, neque ad illos, tanquam subsequentes, derogationem Bonifacianam extendi, nisi ex fine proprio temporales fuerint; III. Extravagantes alias in Corpus Juris non relatas, Jurisque communi haud consonas, non habere aliam auctoritatem, nisi illam, quam ex se vindicare possunt, ubi constat de earum legalitate per pastoralis 8. de Fide Instrument. id est, si originalis sit expedita in pergamento, cum formam solitam à consuetis officialibus etri & cordulis & sigillo SS. Apostolorum Petri & Pauli in plumbo pendentibus, aliter requisitis, arguentibus, Bullam esse illegalem: quia non continentur in aliquo volumine, cui Papa legis robur, suâ approbatione, deciderit; IV. Copiam simplicem non probant in judicio; copiam tamquam in Bullario Romano positam, facere ipsam fidem: quia Bullæ in eo recollectæ fuerunt permissione Summi Pontificis, illique Judex omnimodam fidem tribuere tenetur, ut dixit Rota coram Millino decis. 277. num. 5. imò supponitur publicata constitutio eò ipso, quòd sit in dicto Bullario. Buratt. decis. 795. num. 5. Vid. cit. Petra d. tom. 1. pag. 34. num. 94. & seqq.

QUÆSTIO XIV.

Cum in Bullario Magno solummodò Constitutiones initium sumant à Leone I. quid sentiendum sit de Constitutionibus anteriorum Pontificum?

83 Fuerunt aliqui, qui asserere non erubuerunt, Decretales Epistolæ Summorum

Pontificum in eo corpore Canonum, quod sub Iudori Mercatoris sive peccatoris nomine